



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Cap. IV. Quinam actus requirantur in subjecto ad Irregularitatem ex delicto
incurrendam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

capaces, nec erunt capaces Irregularitatis. Huc reduco Summum Pontificem, qui non est subditus irregularitatem imponenti. Quare falsum est, quod asserit Diaz, in *prax. crim. Canon. cap. 56. num. 6.* Pontificem Summum fore irregularem, si propria manu aliquem occidat. Imò quavis non debeat ut habet Bon. de *Consur. d. 7. quæst. 1. part. 2. num. 8.* Suar. d. 40. de *Consur. sect. 7.* Irregularis, saltem, publicus, eligi ad Summum Pontificatum; est enim eo grada indignus; si tamen eligatur, continuo liberatur ab irregularitate.

3. Hinc secundò, Episcopi, imò & Cardinales subditi sunt irregularitati, quia subditi sunt juri communi Canonico, C. *Quia pericul. de sentent. excomm. in 6.* à quo Irregularitas imponitur, & licet ipsi, nisi exprimantur, non intelligantur comprehensi à lege universalis Suspensionis & interdicti, sic jure Canonico ob eorum dignitatem disponente, comprehenduntur tamen à lege universalis Excommunicationis, & irregularitatis, quia non apparet jus excipiens ab illis. Ita alius citatis Leand. de *irreg. tr. 1. d. 2. q. 6.*

4. An, non baptizatus, si deinde baptizetur, censendus sit liber ab irregularitate ex homicidio v. g. commissio ante baptismum, commodius dicemus infra cap. 23. §. 2.

CAPVT III.

Quibus verbis infligatur à jure irregularitas.

1. Primo, si in iure Canonico, cuius est irregularitatem imponere, ut supra docuimus sic dicatur: *Sit Irregularis, Irregularitatem contrahat, & cat. clarum visum est, tunc infligi Irregularitatem.* Vnum noto, in vetustiore jure hanc vocem irregularitatis non inveniri, non quia usus Irregularitatis non fuerit, sed, quia hæc vox non usurpabatur; utebantur autem aliis dicendi formulis æquivalentibus. Has formulas enumerant Henr. 1. 14. cap. 11. Vivald. in *Candel. p. 3. de Irreg. n. 2.* Snar. de *Conf. d. 40. sect. 8.*

2. Si per futurum tempus sic dicatur: *Erit, fiet, evadet irregularis, expelletur ab altari,* multo magis, si dicatur: *Sit Irregularis, repellatur ab ordine, & cat.* inducetur irregularitas ipso facto. Ita Suar. *disp. 40. de Consur. sect. 8. num. 3.* Ratio est, quia irregularitas non pendet à futuro ministerio iudicis, unde illud futurum (fiet, erit, &c.) solum notat, deinceps te debere reputari irregularem, non vero necessarium esse, ut præcedat iudicis sententia. Non est ita in Censuris, diximus in *Tract. de excommunic. cap. 1.*

3. Quod si, omnibus expensis, res dubia remanet an scilicet verba significant induci Irregularitatem, nec ne, cum hoc sit dubium juris, est judicandum, non infligi Irregularitatem, quia Irregularitas debet esse expressa in jure, quæ expressio non adest, quando omnibus perpensis res est dubia. Imò, etiam si adderetur in jure, quod *talis pena sit dispensatione delenda,* adhuc per hæc sola verba non tollitur dubium, nam, ut notat Suar. *l. c. n. 10.* necessitas dispensationis potest cadere in alias pœnas, quæ non sint Irregularitates.

CAPVT IV.

Quinam actus requiratur in subiecto ad irregularitatem ex delicto incurrendam?

1. Dixi (ex delicto) nam ad Irregularitatem ex defectu, nequaquam facit hæc præfens questio, quia illa Irregularitas incurritur sine peccato. Ad eam autem ex delicto requiritur *Actus externus, Opere consummatus, Deliberatus, Peccaminosus, Cognitus in ratione pœne,* Discurre per singula.

Pars III.

§. I. Actus debet esse externus.

1. Ecclesia sive nequit, ut vult Præposit. in 3. p. q. 5. de *Irreg. d. 2. n. 5.* G. Hurt. de *Irreg. d. 1. diff. 2. n. 6.* Suar. de *Conf. d. 40. sect. 3. n. 6.* Avila de *Conf. p. 2. d. 2. dub. 2.* Graff. l. 2. *decis. c. 62. n. 5.* sive non vult unquam punire, seu judicare de actibus inere internis, multo minus vult, eos punire Irregularitate, quæ est gravissima pœna.

2. Actus tamen externus licet occultissimus capax est Irregularitatis. Ita Suar. *l. c. n. 21.* Avila *l. c. Coninc. de Sacr. d. 18. d. 2.* Leander. de *Irreg. multos citans tr. 2. d. 10. q. 5. & d. 27. q. 19.* contra paucos dicentes non incurrì ex occulto, inter quos est Miranda forte approb. à Diana p. 11. tr. 2. ref. 26. sed exceptus (certè immerito) à Bruno de *Privil. Reg. tr. 5. c. 4. prop. 1.* statim enim, ac actus in externum prodit, manifestus ex se est, iudicioque Ecclesiæ subditus.

Adde Trident. *sess. 24. cap. 7. de Reform.* dicens homicidam, etiam occultum, esse ab Altari repellendum.

3. Neque obstat, quod ex dictis sequeretur hominem, si velit dispensationem Irregularitatis, debere Prælato manifestare suum delictum occultum, ut is iudicet de dispensationis causa: non obstat, inquam, quia eiusmodi manifestatio est voluntaria; potest enim Irregularis non petere dispensationem, si velit, suum impedimentum Superiori non declarare.

4. Quod si contingat, aliquem abstinere non posse ab usu Ordinis v. g. à celebranda Missa, nisi cum gravi infamia suum crimen divulget, iam non cogetur, ex hoc capite, desistere ab eius usu, dum periculum infamiae durat, ut docet Navar. in *man. c. 27. n. 239.* & Corduba *casu 41. n. 142.* nosque infra, c. 14. §. 3. n. 3. breviter, & latius supra de *exc. c. 2.* explicabimus cum communi sententia contra Valerum, in *diff. ult. for. Virreg. diff. 8.* aliosque, & universi, saliter eiusmodi dispensationes debere, ita prudenter fieri à superiore, ut non infametur peccator occultus; nomen omnes; id enim ex regula generali de vitanda proximi infamia, pro certo supponendum semper est.

§. II. Opere consummatus.

1. Hoc est, debet actus in ea specie, sub qua prohibetur, esse perfectus.

2. Hinc, qui mortem alicuius concupivit, qui eandem tentavit, qui vulnus, etiam lethale inflixit, non sit, quamvis per miraculum non sit secuta, quia pœna hæc, seu onus Irregularitatis, cum odiosum sit, restituendum est ad optis integrè consummatum, quando aliter expressè non est in iure depositum, ita communiter Doctores ut Suar. *l. c. sect. 3. n. 13.* Fatin. in *frag. Virreg. n. 427.* Vgol. de *irreg. c. 5.* G. Hurt. de *irreg. disp. 1. diff. 2. n. 6.*

§. III. Plene deliberatus.

1. Ita profecto: non enim tam gravi oneri, seu pœnæ, qualis est Irregularitas, est subijciendus homo, nisi ob actum humanum, & perfectè voluntarium.

2. Hinc infans, dormiens, amens, seu furiosus, ebrius, &c. si occidat, vel baptizetur tempore carentiæ rationis, non sient irregulares. Vide Clement. *Vn. de Homic. Suar. loco citato,* unde, nec teste Gibal. de *irregul. n. cap. 4. quæst. 20. n. 13.* ulla indigent dispensatione, quando postea utrum rationis resument. Porro ex hac certa doctrina duæ emergunt sequentes quasiunculæ.

PRIMA QVÆSTIO.

Dormiens, vel ebrius assuetus occidere.

1. Si quis tempore somni, vel ebrietatis, vel furoris, solitus occidere, bibat, vel comedat ea, ex quibus scit, ita affici, ut hominem in ejusmodi tempore occidat, est ne Irregularis? Videtur enim non esse, quia hæc occisio, licet denominetur deliberata ab actu advertentiæ præcedente ipsam occasionem, in se ipsa tamen non

Ita 3 est

est formaliter libera quia actu fit, dum homo inops est rationis.

4. Respondo, sub necessaria distinctione. Si is non praevidit occisionem futuram, quod esse non raro potuit, quia non erat assuetus eo tempore formi, vel ebrietas, occidere se velit Irregulariter, etiam si per gravem culpam se v.g. inebriavit, vel cubitum ierit cum intentione occidendi suo tempore inimicum. Manifesta est ratio, quia sic occisionis actus nullus ex parte est deliberatus, & voluntarius.

5. At si is praevidit quia v. g. erat affectus eo tempore occidere, & non appoluit sufficientem diligentiam, ne occideret, claudendum, v.g. januum domus, & adhibitis custodiis, &c. multo magis si data opera, ut hominem occidat, bibat, vel comedat, somnove se dederit Irregularis. Ratio est, quia tunc adest causa culpabilis occasionis, cui culpe semper annexitur à Iure Irregularitas, sive ea culpa fuerit ante ipsam occisionem, unde occisio sit denominative libera, sive culpa fuerit in ipsa occisione, unde occisio sit libera formaliter. Patet, quia, secus, non esset Irregularis, si post propinatum tuo inimico venenum, vel post inflictum vulnus ex quibus is post dies mortuus est, tu interim, ante inimici mortem, respueris à peccato, & involuntaria omnino actu tibi sit huiusmodi mors. Sufficit ergo, ad incurrendam Irregularitatem, occasionem esse, denominative liberam, nempe esse causam antecedentem liberè datam, ut communiter docent Doctores Sanci. in C. ad audientiam num. 1. de homic. Majol. de irreg. l. 5. c. 4. §. 12. Covarr. in Clem. Si furiosus p. 3. initio n. 3. Vgol. c. 24. n. 3. & cap. 25 n. 3. & c. 25 n. 4. Sylv. V. Ebrius. q. 4.

6. Confirmatur primò quia, dum Sacri Canones homicidam voluntarium depellant ab altari, non distinguunt de voluntario in se, & in causa. Cum igitur Voluntarium in causa, sit in omni proprietate Voluntarium, non possumus trahere Canones, quasi illi loquantur solum de Voluntario in se. Instat omnium sit: *Cap. de Castro. De Homicidio*, quod solum Voluntarium in causa sufficere, dicit, ad incurrendam Irregularitatem.

De Cetero (inquit) noveris , quod Diaconus , qui homicidio causam dedisse videtur , non ad Sacerdotium promovendus .

7. Confirmatur secundò, quia qui elegit medium, Cānem, v.g. Vrfum, Leonem ad occidendum inimicum, vel, qui prævider pro illud medium effe inimicum occidendum fecuta occifione, fit Irregularis, At, qui fe inebriat, ut occidat, ut, & qui fine cōfmodi intentione, prævider tamen occifionem, voluntariè eligit, vel admittit feipfum in illo amētiæ ftatu tanquam medium, & instrumentum occifionis; ergo, &c.

8. P. Martinus Prates in *manufer. de Irreg. d. 1. cap. 4. n. 12. fol. mibi in Colleg. 15.* nostræ Societatis Theologus magnæ literaturæ in opere de Irregularitate, quod in publicam lucem morte præventus effere non potuit, cuius exemplaria omnibus numeris absoluta in Bibliotheca nostræ Domus Professæ nostrique Collegii hinc Panormi fervantur, putat, probabilis esse (licet fateatur, præcedentem sententiam esse probabilem) quod ejusmodi afflicto occidere in ebrietate; somno, vel furore etiamsi præterit occisionem, nec diligentiam, ne ea sequeretur, apposuerit, non fore irregularem, quamvis re ipsa sequatur occisio. Hanc sententiam, quam, nullo Auctore citato, assert, pluribus probare contendit, probationique summa fideliter collecta hujusmodi est. Quoties aliquis aliquid agens liberatur in jure ab Irregularitate ab aliquam Irregularitatem, toties, illa circumstantia interveniente, Irregularitas non incurritur, ut accidit in occidente ob sui defensionem cum moderate incutparæ tutelæ, & in accusante Reum mortis cum legitima protectione Canonica: Sed in jure *Clem. si furiosus de Homicidio*, liberatur ab Irregularitate, qui in circumstantia somni, vel ebrietatis, vel furoris aliquem occidit: Ergo semper, hæc circumstantia interveniente, liberabitur. Subjungit: At in casibus, de qui-

9. Profecto debilis adeo videtur mihi esse ratio, ut non eandem ejusmodi sententiam probabilioris nomine decorare. Falsa enim est prædicti argumenti Minor: Nam Pontifex in illa Clementina, adeo innotuit ab Irregularitate pronuntiat dormientes, infantes, infirmos (quibus adde, propter identitatem rationis, ebrios, licet hi in Textu non exprimiuntur) qui a se ponuntur ex nulla libertate, nec in causa quælibet homicidium committere. Ratio ergo, cui prædicti deberentur ab Irregularitate, non est ipsa carentia rationis dumtaxat, quam carentiam effert manifestis somnus, vel ebrietas, sic enim liberaretur propter veniunt, vel lethaliter vulnerant, ut modo diximus, sed est carentia rationis cum nulla voluntate, nec antecedenti, nec præsentī occidenti. Audi Glossam citatā Clementinā *Eufrosius* sic dicentem: *Furtivus* de continuo furore labore, five per intervalla, cum diu furit, pari potest injuriam, sed non facere, et quod per eum fit habetur perinde, ac si quis aliquis acciderit, sine facto persone, unde, si damnum daret, non teneretur l. *Agula*, sed est perinde, ac si quævis fecisset, vel tegula acciderit, et idem dicitur de mure, &c. Nota illud (sine facto persone) et illud (de mure, &c. quadrupes, vel tegula.) At in casu nostro ad factum persone, quo antecessit prædicti, & non cum occisione.

10. Confirmatur ex ipso Textu, qui sic habet,
*Si furiosus, aut infans, seu dormiens, hominem matrem, vel
 occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et
 idem de illo censum, qui mortem elicit citius
 valens suum occidit, vel mutilat inuolunt.*
 Nota illud (ex hoc) quasi dicat, non autem ex alio
 capite antecedenti per quod ille causa libera adhiberi
 fuit.

Ad illud exemplum de occidente alium ob falsi defensionem, d'co, falsum assumi: non enim semper is qui defenditur ab irregularitate, nam, si excedit limites moderatus ab irregularitate, & sic occidit, erit irregularis, ut *moderatus* *cap. 15. §. 15. & mox §. seq. n. 7.* ex omnium sententia citatur latius, ergo falsum est semper in circumstantia defensionis, hominem liberari ab irregularitate, si a quo occidat.

SECUNDA QVÆSTIO.

Impubes occidens, an incurrat irregularitatem?

1. **I**n *Opufe de Communionē* cap. 4. §. 1. num. 13. ſententiam negantem, tanquam probabiliorē non valens ſum, nec video, cur in eadem perſiſtere non valeamus, quam etiam ſequuntur multi, ut *Sa Veſ. Conſ. p. 10. Fag. præcipi. Eccleſ. 2. lib. 1. cap. 3. num. 14. Sotus citat Naldo Veſ. Primum duodecim. Val. Tom. 4. diſp. 7. q. 1. §. 2. num. 9. part. 4. Caſtopal. Tom. 1. traſt. 3. diſp. 1. q. 1. §. 2. num. 9. Ioan. Sanch. diſput. 26. num. 18. Diana lib. 1. citat. qui univerſaliter docent, pueros impubereſque viſu uſuq; rationis pollentes, ſive ſeptennio maioribus ſive minoribus, nulla Cenfura, nullique pecuniæ ſtatutis Eccleſiæ (exciſiunt aliqui ex his excommunicatione non percuſſionem Clerici) ad Irregularitateſ ex delictis, quæ hîc agimus, pœna ſine dubio eſſe. Eandem ſententiam ſequuntur alii, ut Ioan. Sanchez lib. 1. cap. 1. Caſtopal. Tom. 1. traſt. 3. d. 1. p. 24. §. 2. num. 9. Diana tr. 6. reſol. 88 & part. 11. tr. 1. reſol. 36. qui ſignate quorundam pueros excludunt ab ipſamet Irregularitate,*

TERTIA QVÆSTIO.

Occidens ex metu.

1. **A**N, si quis occidat iniuste aliquem coactus ab alio, metu cadente in constantem virum incurrat in Irregularitatem? dixi per aliam occasionem, *supra* tract. 1. de excommunic. cap. 2. §. 1. num. 7. non incurtere, incurtere verò, si metus est levis mali. Si quis iuste occidat simili metu coactus, dicam infra, cap. 15. §. 12. n. 15.

§. IV. Peccaminosus.

1. **O**Veritur, an ad incurrendam Irregularitatem ex delicto, facis sit peccatum veniale, an omnino requiratur mortale? Mortale semper esse necessarium, affirmant plerique, pauci tamen negant, dicentes, satis esse veniale.

2. Ratio horum negantium, scilicet Silv. V. Ebrietas q. 2. Armilla V. Irreg. n. 14. Cord. l. 2. q. 26. Mol. de Inst. l. 4. tr. 3. d. 77. à n. 2. vocantis hanc communem sententiam, sed quo iure, nescio. Caiet. 2. 2. q. 64. art. 8. & in sum. V. Irregul. Meg. apud Dianam part. 1. tr. 16. q. 18. est, quia Ecclesia sæpè in Sacris Textibus mox n. 5. afferendis indicavit, fuisse incurram Irregularitatem ex delicto ob leviem culpam, quod certe signum est manifestum, ipsam de facto sic statuisse.

3. Confirmatur, nam excommunicatio minor inducitur per peccatum veniale, puta per commercium civile cum excommunicato maiori, & tamen gravis est pena, cum prohibeat Fidelem à participatione passiva Sacramentorum. Ergo pari modo induci potest Irregularitas quamvis ea item gravis pena sit.

4. Ratio affirmantium, semper de facto requiri culpam mortalem, est Suar. de Censuris d. 40. sect. 5. d. n. 17. Avil. de Cens. p. 7. d. 2. dub. 3. & disp. 6. sec. 1. dub. 11. concl. 2. & 3. Valq. p. 2. d. 150. cap. 5. Filliuc tract. 20. cap. 3. num. 58. Bonac. de Cens. d. 7. quæst. 1. p. 8. num. 1. Coninch. de Cens. d. 18. dub. 4. n. 27. Dian. p. 2. tr. 16. ref. 18. G. Hurt. de Irreg. d. 1. diff. 2. num. 8. Castrop. de Cens. d. 6. p. 12. §. 4. num. 2. Gibal. 4. q. 2. n. 5.

Primo, quia gravissima pena non infligitur, nisi ob proportionatam culpam. At Irregularitas gravissima pena est, ut omnes concedunt, & ut pater ex effectibus gravissimis, quos ipsa parit, quosque nos fusè mox explicabimus.

Secundo, culpa levis, sive ob parvitatem materiæ sive ob subreptionem, seu inadvertentiam, non est absolutoria & consummatæ delictum: at supra §. 2. vidimus, actum ob quem incurritur Irregularitas, debere esse perfectum, & consummatum in eo genere, quo prohibetur.

Tertiò, quia constans est in iure regula, ut quoties dispositio continens penam Irregularitatis, ita sit probabilis, ut etiam opposita probabilis sit, non incuratur (habet id, quod rectè Glossa in Leviam si partes, ff. de legib. & l. Divi in Add. marg. ff. de iure Patr.) Irregularitas, quia tunc expressa in iure censenda non est. At quis inficiabitur, sententiam hanc esse probabilem, positus eius iam allatis fundamentis, & tot Doctoribus eam sequentibus, qui mordicus contendunt in iure non esse expressam Irregularitatis penam, si solum præcedat culpa levis?

Ex his sententiis hæc posterior longè videtur esse probabilior.

5. Ad sententiæ prioris rationem facile respondetur, in casibus illorum Textuum, C. Tna nos. De homic. C. Cominebatur eodem C. Si quis non creatus 15. p. 1. C. Cleric. dist. 50. Pontificem collegisse pro foro externo, (in quo dispensabat) ad fuisse culpam gravem, quia ex præsumptionibus, & circumstantiis concurrentibus illa tunc colligebatur.

6. Ad confirmationem duæ ab excommunicatione Minori, multo facilius responderi potest, nam, cum hæc facile absolvi à quolibet Sacerdote simplici valeat, non exstimatur, nec cerè est adeo gravis, perinde est Irregularitas, quæ ex se est perpetua, privataque Ordinibus, eorumque usu, Beneficiis, &c.

7. Ex dictis, Primò, colligit Abbas, C. Significasti de Homic. si quis in sui defensionem occidendo aggressorem, moderamen exstitit, cum non vitiaturum Irregularitatem, si id ex proposito fecit, secus si ita ex calore iracundiæ, ut indeliberate fecerit. M. rind hæc dixit Abbas, quia in Sacro Textu C. quæstium de penit. & remiss. non nisi lata, ac studiosa, id est peccaminosa moraliter negligentia dicitur causa Irregularitatis.

Addit insuper idem Abbas, C. quæstium de penit. & remiss. n. 2. ad Irregularitatem pro foro conscientie, satis quidem esse culpam latam (intellige mortalem) at pro foro contentioso, requirit item dolum.

8. Colligit secundò Hieradus d. 1. de irreg. d. ff. 8. n. 27. ex communi doctrina defectum plenæ advertentie circa lus, vel circa factum, ignorantiam, & similia, quoties actum eximunt à peccato mortali, eximere quoque in conscientia ab Irregularitate ex delicto, quicquid sit de foro externo, cui sufficit culpa iuridica, id est per externas probationes præsumpta.

9. Colligit tertio Henric. lib. 14. cap. 15. num. 2. Avil. de Cens. p. 7. d. 2. dub. 3. concl. 3. & disp. 6. dub. 11. concl. 3. Præpositus 3. part. 9. §. 5. de Irreg. dub. 2. num. 6. quando ludez, probata secundum præsumptiones culpa iuridica mortali, declarat, aliquem incurrisse in Irregularitatem, si Reo constet culpam fuisse venialem: nec esse Irregularitatem, nec indigere dispensatione. Quare, citra scandalum, gerere se possit, ut ab omni Irregularitate immunem.

10. Circa prædicta, puta, qualis culpa requiritur ad incurrendam Irregularitatem, multa dicenda sunt infra c. 15. quæ omnino sunt legenda.

§. V. Vi incuratur Irregularitas ex delicto, actus debet esse cognitus in ratione malitiæ, & in ratione pænæ, quibus prohibetur.

1. **T**itius, Primò, nescit, vel, non advertit, idque sine culpa, hunc actum, cui ex Ecclesiæ præscripto Irregularitas inhæret, esse peccatum. Secundò, scit quidem, esse peccatum, idque mortale contra lus Divinum, vel contra ius naturale, nescit tamen inculpatè, esse contra Ecclesiæ peculiare præceptum. Scit v. g. hæresim, homicidium, Rebaptismum esse peccatum, sive contra Divinum, sive contra præceptum naturale, sed ignorat, esse contra humanum Ecclesiæ præceptum. Tertiò, denique, quamvis noscat, actum, quem facit, esse peccatum, & esse contra lus Divinum, vel naturale, vel contra prohibitionem Ecclesiæ, nescit tamen sine culpa, prohibitioni huic Ecclesiæ esse annexam penam Irregularitatis.

Quæritur ergo, an semper in prædictis tribus casibus incuratur Irregularitas, si actus eiusmodi prohibitus fiat à Titio?

2. Et quidem in primo casu Titium non incurtere, iam patet ex dictis, quia ad Irregularitatem prærequiritur culpa, &c.

3. In secundo casu, est probabile, non incurtere. Ita Io. Præp. 3. part. 9. §. 5. de Irreg. d. 2. n. 9. Coninch. d. 18. d. 4. Sanchez, lib. 9. mart. d. 22. num. 17. Cast. d. 5. de Cens. p. 6. alique apud Dianam p. 4. tr. ref. 85. sed est item probabilis incurtere. Ita Suar. de Cens. d. 40. sect. 5. n. 10. G. Hurt. de Irreg. diff. 8. n. 20. Sanchez, loc. cit. pro at, id esse docens. Idem dicit Cast. loc. cit. n. 3. Ratio prioris probabilitatis est, quia Ecclesia censetur ponere, penam Irregularitatis solum non obedientibus suæ legi, quam, si quis nesciat, non est ei inobediens. Ratio posterioris est, quia Ecclesia movetur ab indecentia mortali ipsius actus cui adnecit Irregularitatem. Si ergo quis iudecen-

tiam actus iam agnoscat unde mortaliter peccet contra Legem Divinam, vel naturalem, sanè ad se trahet Irregularitatem ejusmodi actui adhærescentem.

4. Dices. Cur Ecclesia arcere per Irregularitatem voluit Ministri iustitiae (ut omnes infra docebimus) iuste occidentem Reos, etiam si Minister non peccet: immò etiam si nesciat hanc Ecclesiae dispositionem, non vero in Priore probabilitate voluit arcere hominem, qui alium occidit iniuste, quando ejusdem Ecclesiae prohibitionem ignorat.

Respondet. Rationem puto esse hanc, quia Ministri ex officio, veluti habitualiter, deficiunt à lenitate Christi, parati ex vi sui officij ad occidendum: at ille occidens iniuste cum ignorantia prædicta, cum non occidat ex officio, non deficit habitualiter à lenitate Christi: Vide infra c. 15. §. 13. n. 15. ubi quid simile dicam.

Iam de Tercio casu remanet difficultas, de qua sunt sequentes sententiae.

5. Prima docet ab ignorante sine culpa Irregularitatem, nunquam illam incurri, una excepta, quæ est ex Homicidio voluntario. Ita Sanchez, lib. 9. matrim. 32. à n. 17. ibidem videtur tenere Nav. *Colicum contingit*. Portella V. *Ignor* Peregr. de Duello q. 8. n. 18. Dian. p. 3. tr. 15. resol. 12. & 67. & p. 4. tr. 2. resol. 5. ubi sibi plaudit ex hac doctrina Merolla t. 1. d. 1. c. 2. n. 48. & 85. Castrop. d. 6. de Conf. p. 6.

Præcipua huius primæ sententiæ Ratio est, quia, ut lib. 1. in Decal. cap. 2. §. 10. c. 12. dixi, ad omnem penam extraordinariam, qualis certè est Irregularitas, requiritur consensus in illam, qui in ignorante esse non potest, &c. recole locum.

6. Neque obstat Irregularitatem esse non solum penam, sed etiam impedimentum, quo quis impeditur, ne ad altare accedat; impedimentum autem contrahi solet, etiam ab nesciente illud, ut patet in impedimentis Matrimonium dirimentibus. Non obstat inquam, quia Irregularitas est impedimentum quidem, sed non nisi adnexum peccato obedientiæ, & tanquam penam extraordinariam eidem peccato ab Ecclesia coniunctam, id quod non est in dictis Matrimonij impedimentis in quibus solum habetur ratio eius, quod de facto est, v.g. consanguinitatis, Affinitatis, & præscindendo ab eo quod sit pena, vel non pena, &c.

7. Excipit tamen hæc sententia Homicidium iniustum, qui enim hoc committit, erit Irregularis, etiam si nesciat, huic delicto Irregularitatem esse connexam.

Ratio autem huius Exceptionis non est, ut aliqui cum Merolla t. 1. l. c. Sanc. l. c. putant, quia in Irregularitate contracta ex Homicidio iniusto est imbibita Irregularitas ex defectu levitatis, non est inquam, ut planius explicabimus mox à n. 14. sed est utris, & consuetudo Ecclesiae, & sensus per tot annos Fidelium, cum, & Pontifex peculiari rigore homicidam prædictum arceat ab altari, difficultusque illi dispense, & Fideles, nisi expresse ejusmodi dispensationem à Pontifice obtineant, non acquiescant.

8. Adde inconveniens, quia nimis multi cum Ecclesiae scandalo essent immunes ab hac Irregularitate, quamvis etiam plures occiderint, siquidem perquam pauci sciunt homicidium, ex vi Iuris, Irregularitatem adhaerere, quod certè scandalum non est adeò notabile in Irregularitatibus ex delictis aliis.

9. Secunda sententia docet, ab ejusmodi ignorante Irregularitatem, semper illam incurri, nulla excepta: Ita Suar de Confur. d. 4. sc. 5. n. 9. Avila de Conf. p. 7. d. 2. dub. 4. Io Præcep. de Irreg. dub. 2. n. 10. G. Hurt. de Irreg. d. 1. diff. 8. n. 28. Bonac. de Conf. d. 7. q. 1. p. 3. n. 4. Ratio potior huius sententiæ est, quia Irregularitas ex delicto, non solum est pena, sed etiam est indacencia, & impedimentum Canonicum, quo, qui est affectus, non potest licite ordines suscipere, vel exercere: Impedimentum autem incurritur, etiam si illud nesciatur, ut patet in impedimento dirimente orto ex consanguinitate per copulam fornicariam, ante contractum matrimonium, Licet

enim illud constitutum fuerit in penam delicti fornicationis cum sanguine Sponsæ in primo, vel secundo gradu, tamen est etiam indacencia, atque adeo impedimentum ex se perpetuum, incurriturque, etiam si quis ignoraverit, illam esse consanguinitatem lux Sponsæ vel illi delicto ejusmodi penam ab Ecclesia fuisse connexam.

Adde, nimis multos sic excusari ab Irregularitate ex delicto, quia nimis multi illas ignorant.

10. Tertia sententia docet, ab ignorante Irregularitatem, nunquam illam incurri, nulla prolixa excepta. Ita Leandr. tract. 1. de Irregul. disp. 4. quæst. 6. cum aliis Castrop. tom. 1. tract. 4. disp. 1. r. 17. nom. 6. & clarus d. 6. de Conf. p. 6. num. 3. alios citans Tanced. p. 2. tract. 5. quæst. mor. 2. saltem post factum, postquam alius bona fide est sic ordinatus. Ratio est, quia non est maior ratio de una, quam de alia: Cum ergo probabile existimet, ut probant rationes primæ sententiæ, non incurritur teras alias ab ignorante illas, probabile etiam erit, non incurri Irregularitatem ex Homicidio, quæ in illa prima sententia erat excepta, atque adeo erit probabile, nullam incurri.

11. Adde, hanc esse penam extraordinariam, præloquendo de Irregularitate ex homicidio iniusto, ergo cum pena extraordinaria nunquam incurritur ab ignorante illam, ut eadem prima sententia docet, nec Lib. 1. in Decal. c. 2. §. 10. n. 12. sustinimus, neque hæc sententia.

12. Ad præcipua argumenta, quæ adversus hæc tertiam sententiam afferri solent, sic respondet. Calotrop. d. 6. de Confur. p. 6. numero tertio. Non est inconveniens quod multi ab hac pena in sui conscientia excusentur, sicuti excusantur à censuris, cum in eo foro adversus legem Ecclesiasticam complete non delinquant, ignorando penam extraordinariam, sub qua lex lata est. Neque item est inconveniens, quod Iudex ignorans suo facto Irregularitatem adnecti, eam contrahat, non tamen eam contrahat homicida ignorans Irregularitatem suo delicto adnecti, quia Irregularitas Iudicis, non in penam, sed ob decentiam posita est: ut homicida, tum ab ignorantia, tum in penam delicti (Sanè copulativè) Irregularitas indicitur, quia Irregularitas gravior est, & difficilius dispensationis: ac proinde non est mirum, ut applicationem legis eam indicentis exposuimus.

13. Ex his tribus sententiis prima, & secunda probabiles sunt, Tertiam atque in paxim deducitur, ut autem sit probabilis, alij statuant.

14. Sed iam superest explicare distinctiōem, cum memoro septimo noluerim admittere contra Merollum, in Homicidio iniusto esse imbibitam Irregularitatem ex defectu levitatis, atque adeo noluerim admittere, de hac peti solere, & debere dispensationem, quando quis ignorans, homicidio esse adnexam penam Irregularitatis, aliquem interfecit.

15. Respondet rationes inter cæteras, hæc esse potest. Primo, quia id contra praxim est, tum petens dispensationem, tum illam concedentis, nunquam eam peti, vel concedi solet dispensatio Homicidij iniusti, nisi sub forma Irregularitatis ex delicto. Et patet, quia Irregularitatem ex defectu ali à Summo Pontifice, à aliquorum citatorum ap. Pasq. Ceni. 3. p. 226 sententia vera est, possunt dispensare, at hæc orta ex Homicidio iniusto semper petitur, & conceditur, à Summo Pontifice.

16. Secundo, quia petens hanc dispensationem ab eodem ipso Pontifice; satis esset, si exponeret, se esse Irregularitatem ex defectu levitatis, quia iam Merolla dicit, in casu ignorantie hanc solum incurri, non vero illam ex delicto: quod certè nullus, satis esse, concedet.

17. Tertio, quia ejusmodi ignorans saltem habet hoc notabile commodum, ut possit petere dispensationem suæ Irregularitatis, quæ solum est ex defectu, ab aliis, quam à Pontifice, si, ut diximus, alij hanc Irregularitatem dispensare valent.

18. Quarto, quia, si vera esset hæc Merolla doctrina, is, qui cum scientia Irregularitatis aliquem occidit injuste, in duas Irregularitates incurreret, alteram ex delicto, alteram ex defectu, & quidem separabiles, quia quando non adest dicta scientia, sola remanet illa ex defectu: at Doctores unam agnoscunt, licet graviores, ut modo n. 12. dixit, Castrop.

19. Quinto denique, Hodie, ut *infra c. 15. §. 1. n. 3.* videbimus, probabilissimum est, irregularitatem ex defectu lenitatis non incurrere, nisi à Ministris iustitiæ, & à Militibus in bello iusto. Ergo non incurritur ab injuste occidente: si ergo is ignorans, effugit (Merolla fatente) irregularitatem ex delicto, nullo modo ex hac probabilissima sententia subijcitur irregularitati ex defectu lenitatis, quia is non occidit, ut Minister iustitiæ, vel, ut Miles, &c.

CAPVT V.

§. VNICVS. Non dubia debet esse in Irregularitatem incurso.

1. **R**ecolo primo, dubium, vel posse esse circa factum, vel circa Ius. Dubitas v. g. an occideris? habes dubium facti, quamvis certus sis, occisionem de jure annexam esse Irregularitatem. Dubitas, an amputans alicui mammillam evadas Irregularis? Habes dubium juris, licet certus sis, mammillam alicui mutilasse.

2. Recole secundo, dubium, aliud esse negativum, aliud esse positivum. Si enim intellectus sit omnino anceps, nullamque rationem saltem probabilem habeat, per quam inclinet ad aliquam partem, dicitur Dubium, & quidem Negativum. Si vero rationem aliquam alicujus momenti habeat, per quam assentiatur alicui parti, dicitur probabilitas, & ab aliquibus vocatur, sed certe improprie, Dubium positivum. Si denique adsint rationes alicujus ponderis pro utraque parte, utraque erit probabilis, ut latè explicuimus *lib. 1. in Decal. c. 1. §. 1.*

3. His in memoriam reductis, quæstio percelebris est, an Dubium negativum de irregularitate, sive circa jus, sive circa factum, inducat irregularitatem: nam quid dicendum sit in Dubio positivo, seu probabilitate, mox tangam n. 17. & distinctius n. 23.

4. Porro valde desudant in hac quæstione Doctores ingenia, sudorisque causam dederunt Jura, quæ alicubi condemnare videntur Irregularitatis sic dubitantem, alicubi penitus liberare. Nam Clemens III. *c. Ad audientiam. De homicidio*, cum Innocentius item III. *c. signifi- casti, eodem*, statuit, in dubio unumquemque censendum esse Irregularem, quia in dubiis (ait) tutior semper pars est eligenda: Bonifacius vero VIII. *cap. 15. qui de sententia excom. in 6. vel statuit*, vel tanquam indubitatum supponit, nullam incurrir Irregularitatem, quæ expresso jure, non fuerit inducta, sed quando adest dubium de facto, vel de jure, Irregularitas non est expresso jure inducta, ergo tunc Irregularitas non incurritur.

5. Nos ergo varias, & quidem difficiles horum Pontificum reconciliationes ab Authoribus excogitatas ultro prætermittentes, facilem cõciliandi Pontifices viam inieimus. Sed prius Conclusionem sequentem statuamus.

6. Solum in dubio facti homicidii injusti, debent se tenere Fideles Irregulares; in aliis vero quibuscumque dubiis sive Juris, sive facti, præter dictum homicidium se Irregulares tenere nequaquam astringuntur. Ita Henr. *lib. 1. c. 3. n. 3.* Sanchez in *Decal. lib. 1. c. 10. num. 45. & 48.* Diana *p. 4. r. 2. resol. 52.* Coninch. *disp. 18. dub. 2. num. 23.* Merolla *tom. 1. disp. 3. n. 129. 245. & 246.* Laym. *lib. 1. tr. 1. cap. 5. §. 4. n. 39.* Bonac. *de Confuris, d. 7. q. 1. p. 5. n. 3.* Castrop. *disp. 6. de Confuris, p. 3. n. 7. dñi que, Nos ipsi lib. 1. in Decal. c. 3. §. 7. Irregularitas.* Quare, si dubitas in aliis materiis, An v. g. Hereticus facis, An rebaptizare te, permiseris, &c. quod est dubium de facto circa alias materias, ab Homicidio, non eris Irregularis.

Idem dic de Dubio Juris circa materiam ejusdem homicidii, vel circa quascunque alias ab homicidio, ut ex Corollariis mox ponendis distinctius habebis, atque hæc in utroque foro (esto Gibalinus cum alijs putat, solum procedere in foro interno) Ratio hujus conclusionis est, quia illa sic declarata colligitur clarè, ut mox videbimus, ex Sacris Textibus, quos citavimus n. 4.

7. Hac conclusione præhabita, sic conciliantur prædicti Pontifices. Clemens, & Innocentius, novum jus condendo, decernunt, in dubio facti de homicidio injusto, hominem esse in utroque foro Irregularem, Bonifacius vero, qui fuit post Clementem, & Innocentium, dicit quidem, in aliis dubiis, hominem non esse Irregularem, sed supponit, esse Irregularem in dubio facti de prædicto homicidio.

Cum enim ipse solum dicat, nullam Irregularitatem incurrere, nisi ea sit expressa in jure; in jure autem non sit expressa pro aliis dubiis, sed solum per dictum Clementem & Innocentium pro dubio facti homicidii injusti, ideo clarè colligitur à Bonifacio supponi irregularitatem in dubio facti homicidii injusti, non vero in dubiis cæteris.

8. Quod autem Clemens, & Innocentius novum jus condiderint, rectè tradit Joan. Præposit. *§. Irreg. dub. 8. num. 60.* quia aliud antiquum jus id decernens antea non aderat. Et nota, quando ipsi dicunt in dubiis tutiorem partem esse eligendam, unde inferunt in dubio facti homicidii debere se hominem gerere, ut Irregularem, non desinisse in omnibus casibus in dubio debere eligi partem tutiorem; solum enim ipsi, moti ex hoc principio (quod certè non raro solum est de consilio) rectè potuerunt præcipere, & definire, in materia facti homicidii, eam esse servandam.

9. Quæres hic denique, An irregularis ex dubio facti homicidii injusti debeat se tenere pro tali, quoad omnes effectus irregularitatis.

Respondeo, Certè probabile est, ut solum huic non liceat suscipere Ordines, nec Ordines exercere. Nam quoad alium illum effectum de privatione Beneficiorum, & multo magis quoad alias penes illi delicto annexas, hunc non esse censendum Irregularem, notat Abbas in *cap. significandi de Homic. & confirmat cum Suario, & Sanch. Castrop. d. 6. de Conf. p. 3. n. 8.*

Colligimus ex dictis, quid sentiendum in quibusdam dubiis peculiaribus?

In dubio de Mutilatione.

10. Ex dictis probabile mihi sit, Primum, per mutilationem quomodocunque dubiam, quamvis injustam, non incurrir Irregularitatem. Ita Sanch. in *Decal. l. 1. c. 10. n. 49.* Bonac. *de Conf. d. 7. q. 1. p. 5. n. 4.* Dian. *p. 3. r. 7. resol. 72.* Merolla *tom. 1. d. 3. n. 252.* & in re simili Suar. *de Conf. d. 40. sect. 6. n. 13.* Castrop. cum alijs *de Conf. d. 6. p. 3. n. 10.* quicquid dicat Henr. *lib. 1. c. 3. n. 4.* Quare, si quis sit dubius, sive de facto, an membrum alteri mutilaverit, sive de jure, an tali mutilationi, v. g. mammillæ, annexa sit in jure Irregularitas (de quibus inferius distinctè agetur) si, inquam, sit dubius, nulla afficietur Irregularitate. Ratio est, quia, nec in jure Clementis, & Innocentii, ut vidimus, nec in alio aliquo jure sic de mutilatione dubia expressa mentio, sed solum de dubio homicidii, mutilatio autem homicidium nequaquam est.

In dubio de Consilio.

11. Probabile sit, Secundo, cum, qui est quomodocunque dubius (sanè post debitam diligentiam, ut alicubi dictum est) de homicidio etiam injusto, an, inquam, illud ex suo consilio fuerit commissum, non esse Irregularem. Cum enim valde differant, homicidium committere, & ad homicidium consilium dare, Irregularitas, quæ imposita est homicidii dubio, valde probabiliter non extenditur ad dantem suum consilium, qui dans sit dubius, an per suum consilium concurreret ad homicidium. Ita docet Gibalinus, *cap. 4. de Irreg. n. 31.* citans Præp.